Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2601

Quelle:
Copyright:

ſuper non dandis et exigendis caucionibus pactionarijs pro miſſis uel anniuerſarijs perpetuis. ſeu quibuscunque huiusmodi ſeruicijs ſpiritualibus. Occaſione cuiusdam caſus qui ſequitur. Legaverat videlicet aliquis *Coloniae* pecuniam pro Miſſa perpetua in domo *Cruciferorum* celebranda. Executores Teſtamenti a FF. *Cruciferis* petunt pro numerata pecunia cautionem, ut in caſu, quo dicta miſſa fuerit neglecta, reditus devolvantur ad Hoſpitale S. Spiritus. *Queritur an Cruciferi teneantur uel poſſint bona conſcientia huiusmodi caucionem executoribus preſtare.* Ante Doctorum Reſponſa inſertus eſt Articulus Teſtamenti, quem tranſcribo: *Item wolde der ſelue N. ind hait beuolen ind beſcheiden. dat ſyn Truwehendre* (Treuhänder, Executores) *eyne erſſmyſſe in dem gotzhuſe zo den Cruitzbroedern beſtellen ind berenten* (fundare) *ſullen. aldae eirſſlichen ind ewenclichen vur ſyn ind ſynre alderen ind vrunde ſelen heil ind troiſt zo geſchien ind gehalden zo werden. Ind dat alſo zo voegen ind zo ordyneren. dat die ſelue myſſe eirſſlichen ind ewenclichen gehalden ind vnuerſumpt bliue.* Sequuntur jam Doctorum *Coloniensium* Iudicia, quorum agmen ducit *Henricus de Piro* ſive *Birbaum Carthuſianus*, ante ſuſceptum habitum jam clarus Legum Doctor, de quo tamen, an idem ſit cum eo, qui Concilio *Conſtant.* interfuit, merito dubitari poteſt. Adi *Harzhemii Biblioth. Colon. p.* 125. Reſpondet is negative, addit vero: *Poſſunt tamen Cruciferi predictum onus miſſe perpetue inſcribere libro memoriarum ſuarum ne negligatur, atque eciam dare executoribus ſeu epiſcopo uel eius officiali literam in qua recognoſcant ſe acceptaſſe ſupradictos redditus* &c. In eandem ſententiam eunt ceteri plus minusve diſerti, quorum Nomina in gratiam Hiſtoriae liter. Academiae *Colon.* adtexam. Sunt vero Theologi: *Johannes Epiſcopus Venecoponen.* ord. FF. Min. Archiep. Colon. in pontificalib. Vicarius. *Bartholomaeus* Carthuſiae *Ruraemund.* Prior. Obiit Vir hic ſenex in Carthuſia *Colon.* 1446. teſte *Petrejo Bibl. p.* 18. unde de Conſultationis noſtrae aetate ſtatues. *Arnoldus de Spina* S. *Gereonis* Canonicus. *Andreas de Werdena* Paſtor Eccleſiae S. *Lupi Colon. Arnoldus de Cloetingen* S. *Georgii Colon.* Canonicus. *Gerardus de Monte* S. *Andreae* Canonicus. *Johannes Tinctoris. Paulus de Gerisheym* S. *Mariae* ad Gradus Canonicus. *Wynandus Spoer* Ord. Auguſtinen. *Johannes Rotiken* Ord. FF. Min. *Petrus de Nova Eccleſia* Ord. Carm. *Bernardus de Galen* S. *Mariae* ad Gradus Canonicus. *Laurentius de Reymerzwale.* Doctores U. J. *Tilmannus de Lyns* Decanus S. *Andreae Colon.* et Praepoſitus S. *Florini Confluentiae. Johannes Bau* Praepoſitus S. *Georgii Colon. Chriſtianus de Erpel* Praepoſitus S. *Mariae* ad Gradus. *Johannes de Spul* S. *Gereonis* Scholaſticus. *Johannes de Spul* Pater praecedentis. *Henricus Retberi* Canonicus majoris Eccle-